



The Holy See

FRANCISCI SUMMI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

FIDE INCENSUS

QUIBUS CUNCTIS ORDINIBUS, CONGREGATIONIBUS ET INSTITUTIS
IISQUE IDEM CHARISMA COMMUNICANTIBUS
SPIRITUS SANCTI DE SAXIA
CULTUS LITURGICUS FRATRIS GUIDONIS DE MONTE PESSULANO, CUM
TITULO «BEATI», CONCEDITUR

«*Fide incensus*, caritate fervens, tam pius amator pauperum, ut eos honoraret tamquam dominos, coleret tamquam patronos, amaret tamquam fratres, fovet tamquam filios, et tandem veneraretur ut imagines Christi» (P. Saunier, *De Capite Sacri Ordinis Sancti Spiritus Dissertatio: in qua ortus, progressusque Ordinis totius, ac speciatim Romanae domus amplitudo, praerogativum ius, et oeconomia disseruntur*, Lugduni 1649, p. 32). Verbis his Petrus Saunier altam Guidonis Montis Pessulani fidem designavit, qua ductus, totam suam vitam indigentioribus colendis dicavit.

In altera saeculi XII medietate ortus est Guido, in Francogallica urbe Montis Pessulani, ex divite familia. Ante annum MCXC pauperibus et indigentibus inservire coepit, in eorum beneficium domum valetudinarium condens in Montis Pessulani suburbio. Inde ab initio hoc misericordiae opus Spiritui Sancto commisit.

Brevi tempore complures asseclas Guido repperit, qui eius exemplo ducti pauperibus et indigentibus inservire cupiebant. Communitas sic orta est, cuius participes fuerunt mares ac feminae, laici et ecclesiastici.

Lotarius Signinus, Innocentius III pontifex futurus, studiorum curricula in Francogallia absolvens, misericordiae Guidonis opera cognovit, ac deinceps summus Pontifex electus, ea sustinuit.

Per bullam *Hiis precipue* diei XXII mensis Aprilis anno MCXCVIII, cum ab omnibus Episcopis quaereret Summus Pontifex Innocentius III ut Guidonis Montis Pessulani opera sustinerent, haec scripsit: «Sane - sicut multorum veridica relatione didicimus - hospitale sancti Spiritus, quod apud Montem Pessulanum dilecti filii fratris Guidonis sollicitudo fundavit, inter cetera nove plantationis hospitalia et religione fulget et maioris hospitalitatem caritatis exercet, sicut hii, qui eorum helemosinas sunt experti, plenius didicere. Ibi enim reficiuntur famelici, pauperes vestiuntur, necessaria ministrantur infirmis et magis indigentibus maior consolatio exhibetur: ita ut magister et fratres ipsius domus non tam receptores dici debeant indigentium quam ministri et illi soli egeant inter pauperes, qui pauperibus necessaria caritative ministrant» (*Hiis precipue*: ed. critica ex registris Vaticanis: O. Hageneder – A. Haidacher (cura), *Die Register Innocenz' III*, p. 139).

Die XXIII mensis Aprilis anno MCXCVIII hospitale Montis Pessulani iurisdictioni Sanctae Sedis est commissum atque Summus Pontifex monasticam regulam confirmavit, quam communitati comparavit Guido: «Religiosam vitam eligentibus et cetera usque annuimus et prefatum hospitale sancti Spiritus apud Montem Pessulanum constructum, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus [...] statuantes, ut omnes domos, quas in presentiarum iuste habetis vel in posterum rationabiliter poteritis adipisci, predicto hospitali sancti Spiritus Montis Pessulani et procuratores eorum tibi, fili Guido, et successoribus tuis perpetuo subiacere debeant et humiliter obedire et correctionem tuam et successorum tuorum recipere humiliter et servare» (*Religiosam vitam eligentibus*, O. Hageneder – A. Haidacher (cura), *Die Register Innocenz' III*, p. 142-143).

Anno MCXCVIII, praeter hospitale Montis Pessulani, communitas alia decem similia loca numerabat in meridiana Francogallia ac duo Romae. Per bullam *Cupientes pro plurimis*, Anagninae evulgatam, die X mensis Decembris anno MCCI, templum *Sanctae Mariae in Saxia* Romae (quod hodie Sanctus Spiritus in Saxia appellatur) una cum hospitalis domo, inter MCXCVIII et MCCI ab ipso Innocentio III condita, curae est commissa Guidonis Montis Pessulani eiusque sociorum.

Guido cum vel fidelissime misericordiae exemplar a Iesu nuntiatum perficere cuperet, per amplum suae operae propositum designavit, utpote cum totum hominem complecti vellet, animam nempe et corpus, atque a parvulis procedens usque ad senes. «Aegrotus est Dominus, medici et valetudinarii ministri eius sunt servi», quod monebat Guidonis *Liber Regulae hospitalis Sancti Spiritus*. Cum omnes adiuvere vellet, apprime modo natos relictos ac parvulos inoptatos curare studuit. Praeter quam quod corpus ac spiritus desertarum matrum ac meretricum colebatur, apud Hospitale Sancti Spiritus in Saxia una ex primis exstructa est expositorum rota, ubi modo nati sine nomine relinqui potuerunt, a Guidonis communitate curandi. Sic parvulis derelictis plane adolescendi domi hospitalis copia dabatur. Guido non modo eis consuluit qui ad eum decurrebant, verum etiam sorores ac fratres hortabatur ut in vias exirent, indigentes vestigaturi. Praeter studiosum in pauperes famulatum, Montis Pessulani conditor religiosam Dei amoris contemplationem iungebat. Ex hac assidua cum Deo communionem, vires hauriebat ad miseris inserviendum, eis tribuens solacium, laetitiam ac pacem.

Die XIX mensis Iunii anno MCCIV per bullam *Inter opera pietatis* Innocentius III novum Ordinem eiusque iurisdictionem super hospitali Romano Sanctae Mariae in Saxia confirmavit, in quo principem totius Ordinis domum posuit.

Guido primis mensibus anno MCCVIII Romae obiit. Innocentius III per bullam *Defuncto Romae* pondus confirmavit operum misericordiae, quae ipse inchoavit, eaque ab eius successoribus continuanda.

Humilis modicique famuli pauperum Montis Pessulani memoria per consequentia quattuor saecula silenter in monasteriis ac valetudinariis est servata, in quibus a Guidone Regula constituta observabatur. Subsequentes generationes sororum fratrumque, fide ac moribus sui Conditoris sustentatae, cotidie precando ac sui Ordinis charisma fideliter tenendo, ipsius memoriam servarunt.

Petrus Saunier, in Guidonis imagine, in suo volumine efficta, hanc inscriptionem posuit ad eius mortem pertinentem, ex qua quanti aestimata sit eius memoria discitur: *Guido / ex Comitib(us) Montispessulani / Institutor Ord(inis) S. Spiritus / Num tenuit portum Guido cui spiritus aura / Regula navis acus, Crux Sacra temo fuit* (p. 10). Odoricus vero Raynaldi suo in opere quod est *Annales Ecclesiastici*, anno MDCLXVII editi, de Guidone scripsit: «...erat religiosi Hospitaliariorum ordinis conditor, ob eximiam sanctimoniam Innocentio charus, ac Beati nomen promeritus, oriundus a Monte Pessulano» (p. 25).

Hodie quoque Guidonis opera crebros mirificosque fructus fert, religiosarum communitatum ope quae assidue pauperibus subveniunt, misericordiae opera producendo ab earum conditore Montis Pessulani inchoata. Haec id genus vita, indigentibus iuvandis dicata, quae fide in verbis operibusque Iesu sustinetur, eadem est de qua loquitur [Concilium Oecumenicum Vaticanum II](#): «Sicut ergo Christus circuibat omnes civitates et castella curans omnem languorem et infirmitatem in signum adventus Regni Dei, ita et Ecclesia per filios suos iungitur cum hominibus cuiuscumque condicionis, maxime vero cum pauperibus et afflictis, atque libenter pro eis impenditur» ([Ad Gentes](#), 12). Rursus addit: «Eodem zelo fervescent religiosi et religiosae itemque laici erga suos concives, praesertim pauperiores » ([ibid.](#), 20).

Guidonis Montis Pessulani exemplum, hominis scilicet plane unici eius in humili spiritali vita, oboedientia ac pauperum famulatu semper nos traxit nosque animavit. Itaque credimus esse tempus quo ille peculiarem in modum Dei Ecclesiae exhibeatur, cui suam per fidem et misericordiae opera loqui pergat.

Laudabilibus nonnullorum Nostrorum Decessorum perpensis iudiciis de vitae sanctitate Guidonis Montis Pessulani, assidue quaerentibus Cardinalibus, Episcopis, Religiosis, ac potissimum Ordinibus, Congregationibus et Institutis Regulam et Guidonis vitam communicantibus, necnon laicis, qui a Sancta Sede flagitarunt ut Guidoni Montis Pessulani liturgici honores tribuerentur, Nos

plane conscii, ob oculos praeclaris Guidonis Montis Pessulani habitis meritis, quae adhuc in Ecclesia manent, volentes, pro bono tantum animarum, statuimus peculiare gratiae concedere signum.

Ideo, ex Nostra Apostolica auctoritate, Guidonem Montis Pessulani in Beatorum catalogum referimus eiusque memoria, cum in Liturgia Horarum, tum in Eucharistica celebratione, die VII mensis Februarii agenda. Decernimus insuper ut haec dies obligatoria sit memoria apud Ordines, Congregationes et Instituta eiusdem Sancti Spiritus in Saxia necnon Instituta Guidonis charisma communicantia.

Datum Romae, Laterani, die XVIII mensis Maii, in vigilia Sollemnitatis Pentecostes, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS PP.